

tale ab aliqua forma sicut aliquid dicitur agens actione et docens doctrina. Ad aliud dicitur quod actio est ad id quod dicit in obliquo est in agente et ut sic est perfectio agentis. Ad aristotelem dicitur quod actus actionis immanentis et potentia sunt in eodem. **¶** Ad 6. dicit. **S. T. 3. sen. di. 20. q. 1. ar. 5. q. 2. ad 3.** quod opus operans iudeorum fuit simpliciter malum sed passio quae est opus operatum est quidem simpliciter bona secundum quod est in patiente. Quis possit dici mala secundum quod est in actione illorum sicut in causa haec ille unde dicitur quod licet actio iudeorum esset mala tamen actio exterior in quantum erat in passio erat bona sed fuit mala secundum quod. **¶** Et si dicatur ergo peccatum sui quid fuit in christo subiective dicitur quidam quod crucifixio fuit in christo subiective sed fuit in iudeis impurative. Si dicatur illa crucifixio passiva est actus exterior iudeorum quod fuit peccatum quod non fuit meritoria nobis dicunt quidam quod idem actus in esse naturae est bonus et malus respectu diversorum ut si fructus det elemosinam propter vanam gloriam quam dominus suus vult dari propter bonum finem et similiter dicunt quod prophetia cyprii erat bona moraliter ut erat a spiritu sancto et mala ut erat ab ipso cyprii. Sed contra omnis bonitas moralis est in aliquo subiecto. Queritur ergo in quo erat subiective illa bonitas moralis sed de hoc **S. T. in 4. distin. 19. in expositione textus aliter respondet S. T. in 2. di. 40. ar. 4. ad 1.** quod meritum non est in passione secundum quod est passio sed in hoc quod aliquis voluntarie subsistit propter deum et hoc est idem cum operatione agentis. Ad aliud dicitur quod actio et passio pro formaliter opponuntur. Ad aliud dicitur per idem vel quod aliquid denominatur a forma extrinseca ut dictum est supra. Ad aliud dicitur quod respectus est in eodem cum suo fundamento scilicet potentia motiva vel activa unde materiale actionis non est fundamentum actionis pro relatione.

**¶** Ad septimum patet per distinctionem actionis pro materiali et formali. ad aliud de deo dicitur quod actio pro formali dicit aliquam entitatem. Et ideo deus mutaretur si in eo esset nova actio licet proprie adventus relationis non denominet subiectum mutari vel moveri ut dicitur **S. T. de potentia. q. 7. ar. 9. ad 7.** Sed contra arguitur quod deus de novo aliquid agat quia causa in actu et effectus in actu sunt simul sed multi nunc sunt effectus in actu de ergo deus de novo est causa in actu. Forte dicitur quod licet deus sit causa in actu tamen non oportet effectum esse in actu nisi quando sibi placet. Contra quia quando effectus ponitur in actu aut aliquid fit in causa quod prius non erat vel nihil si secundum ergo effectus prius erat in actu. Item deus ante mundi creationem non agebat ergo in ipso non erat actio. Et per idem probatur quod actio dei non sit ipse deus quia deus potest esse dato quod non sit actio vel creatio activa. puta ante mundi creationem. Tunc enim non erat creatura ergo non creator. Tenet consequentia quia ista dicuntur relative. Item actio pro materiali est in passio ergo actio dei non est deus. Antecedens patet quod actio transiens pro materiali est forma producta.

Forte dicitur quod in deo non est actio transiens quod actio transiens est in predicamento non autem actio dei secundum **S. T. in 1. di. 8. q. 4. ar. 3. ad 3.** Sed hoc est contra **S. T. de potentia. q. 10. ar. 1.** Forte dicitur quod licet actio transiens pro materiali non sit deus tamen pro formali est ipse deus. Contra actio pro for-

mali dicit relationem sed deus non est relatio ergo non est actio pro formali. Ad haec dicitur quod nihil fit in causa in actu sed in re fit executio eius quod a divina voluntate determinatum fuit. Secundo dicitur quod aliquando effectus est in actu sine causa in actu quia non oportet quod volens media / semper actus velit finem licet finis sit causa mediorum. **S. T. in 2. di. 38. q. 1. ar. 1. q. 1. 4.** Item dicitur prima. q. 1. ar. 2. dicit quod creatio dei. creatio est essentia eius cum relatione quadam et de po. q. 3. ar. 3. Si tamen queratur an hoc nomen creator significat respectum sicut hoc nomen dominus dico quod non **S. T. de veri. q. 4. ar. 5.** Ad alia dicitur a quibusdam quod actio dei semper fuit licet non semper fuerat actio dei loquendo de actione dei transeunte et non immanente. Sed dimissis appellationibus dicitur quod actio dei non est univoca cum actione creature. Et ideo actio dei non est in passio sicut dictum est de actionibus agentium naturalium ad aliud tactum in argumento principali de igne dicitur quod est una actio pro formali et due pro materiali. **S. T. libro secundo contra gentes. c. 75.** et ita dicatur de operatione quando duo ignes calefaciunt. **¶** Ad octavum dicitur quod relationes paternitatis et filiationis sunt impossibiles in eodem subiecto propter impossibilitatem actionis et passionis. Quod ad sua formalia quae important in obliquo non autem quantum ad sua materialia ideo argumentum non probat quod actio non sit in eodem subiecto cum passione sed quod actio dicit respectum impossibilem passioni in eodem subiecto. Ad aliud dicitur quod actio quantum ad suum materiale denotat ipsum agens denotatione extrinseca et quantum ad illud materiale denotatio passiva intrinsece scilicet moveri. Sed actio quantum ad illud quod complet rationem eius denotat agens denotatione intrinseca scilicet agere et creare motum et movere mobile. Quantum ad primum scilicet materiale est in passio. Sed quantum ad secundum est in agente. Ad aliud dicitur quod aristoteles intendit ubi allegatur illa esse idem. prope que sunt idem re et ratione nec unum importat aliquid quod non importetur per aliud et ideo quod actio et passio dicitur ratione nec sunt idem quo ad respectus oppositos quos important in obliquo nam actio et passio quae dicuntur idem et quandoque non ut supra patuit. Ad aliud dicitur quod licet nos dicamus quod eadem res est actio et passio non tamen concedimus istam actio est passio nec istam agere est pati. **S. T. 1. parte. q. 25. ar. 5. ad 1.** dicit quod licet actio sit eadem motui et passio similiter non tamen actio est passio nec actio et passio proprie loquendo sunt idem illud enim argumentum. Quaeque univocum sunt eadem sibi mixta sunt eadem tenet in his quae sunt idem re et ratione ut tunica et indumentum non autem in his quae dicitur ratione. Praefertur autem illa regula non tenet quoniam aliqua sic differunt ratione quod in ratione unius importatur aliqua res que non importatur in ratione alterius sicut est in proposito et in multis aliis. Unde ista non conceditur fortis est humanitas quia aliqua res includitur in ratione fortis si fortis haberet rationem que non includitur in ratione humanitatis.

**¶** Ad nonum dicitur quod aliqua differre numero contingit dupliciter. Primo quia sunt due res totaliter diverse. Secundo quia connotant vel important diversas res in obliquo et hoc modo actio et passio differunt. Lapreolus etiam concedit quod eadem res potest ad diversa predicamenta pertinere. Ad aliud dicitur quod argumentum non concludit aliud nisi quod forma non quocumque modo se habens dicitur motus vel actio